29

8

QUÆSTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 22. Februarij.

M. CAROLO MARTEAU
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ex morbo convaleſcentibus, panis ſpumâ cerevisiæ fermentatus ſalubris?

I.

SANITATEM vitæ delicias nemo non expetit, obtinent multi, pauci agnoſcunt, nec verè eam probant niſi qui ex gravi morbo convaluêre. Bona quippe valetudo jucundior eſt iis qui ex languenti recreati ſunt, quàm qui nunquam ægro corpore fuerunt. Firma eſt totius corporis affectio, in quâ ea congruunt inter ſe è quibus conſtat. Non una eſt ſed multiplex κατὰ τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον diſtincta. Ab eâ ſolùm deflectit qui in morbum incidit; quo anima nec lædi nec labefactari poteſt. Sed quo tentari corpus credas, cum actionibus noxæ, quæ ſenſu percipiantur, inferuntur. Non æger dicendus, qui imbecilliùs ſua obit munia: quamvis ei non ſint deneganda præſidia; ſed caveat nè, quæ in adverſâ, eadem in ſecundâ valetudine conſumat: nec tentet temperamentum mutare, ubi maximè multis negotiis diſtringitur; nec ſui juris. Non omnes qui curantur, convaleſcunt. Morbus qui naturam profligavit, vincit & artem etiam periti medici; qui novit experimenta æquâ rationis lance comprobare: nec qui diætæ ita eſt addictus (ſine quâ tamen nihil unquam gerit auſpicatò, & quâ ſolâ etiam immaniores affectus elidit) ut Pharmaciam & Chirurgiam negligat. Vix unquam rectè medebitur, niſi noverit ipſe manum operi admovere, ſecundùm utriuſque artis præcepta. Felix qui æger tali medico ſuam credit ſalutem: certiùs ille evadet ex morbo, nec ita facilè in eum relabitur; modò tamen quam hic definierit vivendi legem ſequatur; neque indiſcriminatim quolibet (quod fieri amat) ſed leviſſimo, molliſſimo, jucundiſſimo, εὐχύμῳ, εὐπέπτῳ καὶ εὐαναδότῳ paſcatur alimento.

2

II.

QUI ex morbo convaleſcunt, quò hic gravior ac periculoſior fuerit, eò difficiliùs conſtantem & integram recuperant valetudinem. Levi de causâ vel in eundem, vel in alios morbos incidunt, ubi relapſi ſunt acerbiùs ægrotant, triſtiúſque curantur; ſi fato non cedant, citiùs evadunt. Quare egent medico convaleſcentes, donec planè confirmatæ redditi ſint ſanitati. Horum ſtatum neutrum plurimi appellant: ſed neuter dicatur necne! quid ad eorum victus rationem inſtituendam ſpectat? Depulſus eſt morbus, ergo ſanitas ſuccedit, ſed minùs firma. Tunc alimenta imbecilliùs digerit ac coquit ventriculus; ad hepar ſanguinis officinam chylum ſegniùs deferunt venæ mezaraicæ; lento quoque paſſu nectar vivificum ad omnes corporis partes tranſmigrat; quæ nec ita citò appulſum proprium nutrimentum in ſuam ſubſtantiam convertunt; pulſus languidior; obſcurior reſpiratio; ſi tactum tollas, quilibet ſenſus fit obtuſior; tardior motus & tremulus; mentis acies hebeſcit; labitur memoria. Quocirca, ſicut non niſi paulatim vitæ munia confirmantur, ſic nec ad ſolitum opus mox redeundum, ſed poſt multum tempus repetendum. Verùm potiùs in id incumbant convaleſcentes, nè quid in victu peccent. Et variis & à ſalubritate tantiſper deſciſcentibus eduliis offenduntur; mero forſan alacriores, at ſicciores redduntur; læduntur & inſomnes fiunt largiore cœna: quæ omnibus prope nocet: nec tot incommoda parit liberalius prandium; minùs nutriunt piſces, & pituitoſum reponunt ſanguinem; fructus proſtratas vires excrementis obruunt magis, quàm alibili ſucco reficiunt; legumina flatulenta, ſtomachum gravant & κακεξίαν inducunt; carnes corruptioni obnoxiæ, redivivis morbis materiam præbent; ova calidiora, occludunt meatus, & in bilem facillimè abeunt; ῥοφήματα εὔπεπτα, ſed minùs grata ac citò ſubeunt; lac optimum ſæpe alimentum, plutibus tamen noxium; panis unus probè fermentatus ſaluberrimus dici meretur.

III.

HOMO natus fruges conſumere ex ipſis quaſi diſtincta ciborum genera parari curat, necnon & potuum: hæc ſunt præcipua, cerevifia, panis. Illa monſtrat quò proceſſerit virorum ſolertia, ut inde compertum ſit, quemadmodùm aqua quoque inebriaret. Nec per ſe inducit elephantiaſim, alioſve morbos: nec pravi eſt ſucci: nec tamen omnibus jucunda: unde à quibuſdam improbatur; triticea omnium optima. Panis longè præſtat, quo nihil optatius: raró admodùm faſtidium parit, vel nauſeam movet: aſſumitur ſine ordine: cum cæteris eduliis & obſoniis ingeritur, quibus & gratiam ſalubritatemque conciliat: nemo ſanus impunè diu poteſt eo carere, qui promiſcuè ſubit pauperum tabernas, regumque turres. Varius eſt pro variis cerealibus, variis eorum partibus, & vario præparationis ac coctionis modo. Qui fit è piſcibus ſole toſtis, leguminibus, fructibuſve, non niſi analogicè panis habetur. Qui ex tritico paratur, pri mus audit; nonniſi ruſticis deguſtandus, qui in illius pe

nuriâ fit ex cæteris frumentis : à quibus ſanguis redditur deterior ; quidam laudant ſecale , ſed & explodendum , niſi tritico mixtum. Quò panis purior , eò magis nutrit & minùs ſecedit. Primas tenet ſiligineus , poſt hunc ſimilagineus , quem ſequitur συγκόμιστος , nutrit quoque cibarius, ad alendum ineptus furfuraceus ; quare laus ſumma panis farinæ bonitate & cribri , quo illa excutitur , tenuitate conſtat : ubi laudabiliter fuerit fermentatus , aquâ ritè ſubactus ; pauco ſale conditus , necnon ex arte in clibano coctus. Cum farinæ ſimplici aqua tantum affunditur, & ita coquitur ; quid quæſo gratiæ tam optabili cibo conciliatur ? Pro pane gluten naturæ noxium & moleſtum paratur. Sed dum fermento diſtenditur farina , inflatur & quodammodò ebullit , hinc partes craſſiores à ſe invicem veluti ſecedunt, inciduntur, attenuantur, & quaſi terreſtris ſubſtantia in aëream convertatur , tota farinæ moles levior evadit , faciliùs coquitur , palato fit jucundior , & ad nutritionem longè aptior efficitur. Quas dotes certiùs obtinebit panis ſpumâ cereviſiæ fermentatus ; quo dum veſcuntur ex morbo convaleſcentes , nec ita facilè in eum relabuntur , nec diu moroſam trahunt vitam : ſed priſtinæ & integræ ſanitati quàm citiſſimè reſtituuntur.

IV.

QUODLIBET fermentum pani conficiendo ritè non admiſcetur. Ova conquaſſata ſimilam cum quâ confunduntur attollunt, gratiam conferunt : ſed ad bellariorum luxuriam , quàm ad panis neceſſitatem potiùs revocanda : quod eſt in farina viſcoſum non frangunt, nec alimentum præbent familiare. Ex milio vel tritici minutis furfuribus , muſto ſubactis , ac ſole ſiccatis paſtilli acorem nimium pani impertiunt. Hordei aquâ macerati bilibres offæ , fictili patinâ toſtæ dum rubeant , & in vaſis donec aceſcant opertæ , ægrè dilvuntur : nec craſſiores farinæ partes digerunt. Nunc ad panificium pauca fermenta uſurpantur. Volunt anteponendum , quod paratur ex farinâ aquâ ſubactâ , vel ad pultis modum decoctâ , vel ſæpiſſimè citra coctionem relictâ donec aceſcat. Licet hoc fermentum craſſiores partes ægrè diſcutiat , ex eo tamen inſalubrem panem confici aſſeverare, cæcutientis eſt: ex hoc uno ſalubrem, rerum vires minùs intelligentis. Immo ut levitas ſic & major ſalubritas pani accidit ex eodem fermento , ſi tantillum floris cereviſiæ adjiciatur, ut ſic farinæ partes prope omnes faciliùs digerantur & attollantur. Leviſſimus verò panis , & ex morbo recreatis optatiſſimus , qui ſolâ cereviſiæ ſpumâ fuerit fermentatus : modò recens , ex laudabili cereviſiâ collecta , & juſtâ quantitate admiſceatur. Hæc veteribus nota , & ad panificium traducta , tenuis admodum nullas farinæ partes non attingit : quas ſubigit , attenuat , & citò huc illuc diſtendit ; necnon quicquid in ipſis lentum eſt & craſſum , emendat. Quare nequaquam gravatur ventriculus , nec laborat in chylo conficiendo , dum molliſſimum panem ac jucundiſſimum amplectitur : quem facilè digerat & coquat ; & ex quo ſuſcipiat ſuccum ad alendum habilem : qui & promptè diſtribuatur , &

rarò inquinetur ab humoris morbifici reliquiis: quæ solent ut plurimùm ὑποστροφὰς ποιεῖν. Quin & detrimenta, quæ pauca ex illo existunt, statim seposita, quà solet natura, foras truduntur.

V.

PANIS spumâ cerevisiæ fermentatus, omnibus jucundus, nemini noxius, ex morbo convalescentibus saluberrimus. Qualem his parari volumus, rusticis ac pauperibus non adeo utilis, licet eo non lædantur: sed tam nobili alimento ut assuescant, non licet per inopiam; adeo verum & opes differentiam facere in cibo, etiam uno asse venali. Tritici medulla incerniculo tenuissimo ab omni furfure, vel etiam viscidiori & crassiori farinæ parte repurgata, nec ex asservatione fœtens, undâ fluviali vel fontanâ tepidâ subigitur, mox flos cerevisiæ admiscetur, necnon tantillum salis aspergitur: quàm citissimè tota massa rarescit, eamque pluries huc illuc versatam, in orbiculos in clibano coquendos ut plurimùm partiuntur pistores. Sic εὔχυμος, εὔπεπτος, καὶ εὐδιάδοτος conficitur panis, ac proinde lautissimus & optimus; qui quò rarior & levior, eò iis salubrior, qui se recolligunt à valetudine. Sed hodiernus hesterno præstat: hoc enim ille mollior, suavior, & jucundior. Quæ diuturniori repositione inducitur siccitas, sequitur panis præstantiam: qui siccior fit, quòd nec viscoso, nec excrementitio humore diffluat. Totus æqualiter rarescit; majori mole oblatus convalescentibus, eos tamen plùs æquo non nutrit: nec suo lentore eorum ventrem inflat, obstruitque viscera. Cum in eorum ventriculo, aut succi illius, à quo χύλωσιν volunt promoveri, vix aliquid supersit, aut vis caloris, ac spirituum copia desideretur: nihilominùs facillimè in chylum hîc convertitur panis, priùs sufficienter fermentatus: & sanguinem purum ac perlucidum, quo citò & perbellè singulæ nutriantur partes, reponit; qualem non reponeret panis congenere fermento subactus: quem etiam, non adeo vegetus ventriculi calor, multo negotio conficeret. Quid plura! dummodò qui tandem ex morbo ad frugem meliorem redierunt, spumâ cerevisiæ fermentato pane vescatur: noxij humoris derelicta portio, naturæ calorisque vi domari ac vinci facillimè poterit, forasque propelli; adeo ut integra, tutaque sanitas brevì succedat, nullo metu morbi recursuri.

Ergo ex morbo convalescentibus, panis spumâ cerevisiæ fermentatus salubris.

Afferebat Lutetiæ RENATUS LE CONTE, Andinus. A.R.S.H. MDCLXXIV.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illust. Archiepiscopi Typographi.